

hanc legem non pertinet: quoniam operas præstando potest liberari. Idem Octavianus probat: et adicit, Obligare sibi libertum, ut mercedem operarum capiat, is intelligitur, qui hoc solum agit, ut utique mercedem capiat, etiam si sub titulo operarum eam stipulatus fuerit.

TIT. X.

DE JURE¹ AUREORUM ANULORUM.

1. PAPINIUS, lib. 4 Responsorum.

Inter cæteros alimenta liberti relicta non² idcirco non debentur, quia jus aureorum anulorum ab imperatore libertus acceperit. — § 1. Diversum in eo probatur, qui judicatus ingenuus, collusionem per alium patronum detecta conditioni suæ redditus, alimenta sibi, quæ tertius patronus reliquerat, præberi desiderat: hunc enim etiam beneficium anulorum amittere placuit.

2. Idem, [lib. 15 Responsorum].

Intra³ quinque annos pro ingenuitate sententia dicta rescissa fuerat: victum anulorum aureorum beneficium, quod ante sententiam pro ingenuitate dictam acceperit, ac deposuit, non retinuisse respondi.

3. MARCIANUS, [lib. 4 Institutionum].

Divus Commodus et jus anulorum datum ademit illis⁴, qui invitati aut ignorantibus patronis acceperant.

4. ULPIANUS, [lib. 3, ad legem Juliam et Papiam].

Etiam femine jus anulorum aureorum impetrare possunt: et jura ingenuitatis impetrare, et natalibus restitui poterunt.

5. PAULUS, [lib. 9, ad leg. Juliam et Papiam].

Is, [qui] jus anulorum impetravit, ut⁵ ingenuus habetur⁶: quamvis ab hereditate ejus patronus⁷ non excludatur.

6. ULPIANUS, [lib. 4, ad legem Juliam et Papiam].

Libertinus, si jus anulorum impetraverit, quamvis jura ingenuitatis salvo jure patroni nactus sit, tamen ingenuus intelligitur; et hoc D. Hadrianus rescipit.

TIT. XI.

DE NATALIBUS RESTITUENDIS¹.

1. ULPIANUS, [lib. 2 Responsorum].

A principe natalibus suis restitutum eum, qui se ingenuum natum principi affirmavit, si ex ancilla natus est, nihil² videri impetrasse.

2. MARCIANUS, [lib. 4 Institutionum].

Interdum et servi nati ex postfacto juris interventu³ ingenui fiunt: ut ecce si libertinus a⁴ principe natalibus suis restitutus fuerit. Illis enim utique natalibus restituitur, in quibus initio omnes homines fuerunt, non in quibus ipse nascitur, cum servus natus esset. Hic enim, quantum ad totum jus pertinet, perinde habetur, atque si ingenuus natus esset: nec⁵ patronus ejus potest ad successionem venire. Ideoque imperatores non facile solent quemquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono.

3. SCÆVOLA, lib. 6 Responsorum respondit.

Queris, an ingenuitatis jure utatur is, quem sanctissimus et nobilissimus imperator natalibus suis restituit? Sed ea res nec dubitationem habet, nec unquam habuit, quin exploratum sit, ad omnem ingenuitatis statum restitui eum, qui isto beneficio principis utatur.

4. PAULUS, [lib. 4 Sententiarum].

Nec filio patroni⁶ invito libertus natalibus suis restitui potest: quid enim interest, ipsi patrono, an filius ejus fiat injuria?

5. MODESTINUS, [lib. 7 Regularum].

Patrono⁷ consentiente debet libertus ab imperatore natalibus restitui: jus enim patroni hoc impetrato amittitur. — § 1. Libertinus, qui nata-

Tit. X. — 1. Lib. 6, C. 8, N. 78. — 2. L. 35, § 2, supr. de condit. et demonstr. — 3. L. 1, infr. de collat. deleg. — 4. L. 4, infr. tit. prox. — 5. L. un. in pr. C. ad leg. Visell. — 6. L. ult. infr. h. t. — 7. L. un. C. ad leg. Visell. — Tit. XI. — 1. Lib. 6, C. 8, N. 78. — 2. Fac. L. 2, L. 4, C. si contra jus vel utilitat. — 3. L. 1, ult. in fin. infr. h. t. — 4. L. ult. in fin. C. de jure aureor. anulorum. — 5. L. 25, § 1, C. de uupt. — 6. L. 3, § 1, supr. de bon. libert. — 7. L. 5, supr. tit. prox. — 7. Arg. L. 5, supr. de

libus restitutus est, perinde habetur, atque si ingenuus factus, medio tempore maculam servitutis non sustinisset.

TIT. XII.

DE LIBERALI¹ CAUSA.

1. ULPIANUS, [lib. 34, ad Edictum].

Si quando is, qui in possessione servitutis constitutus est, litigare de conditione sua non patitur, quod forte sibi suoque generi vellet aliquam injuriam inferri: in hoc casu æquum est, quibusdam personis dari licentiam pro eo litigare: ut² puta parenti, qui dicat filium in sua potestate esse; nam etiam si nolit filius, pro eo litigabit; sed et si in potestate non sit, parenti dabitur hoc jus: quia semper parentis interest, filium servitutem non subire. — § 1. Versa etiam vice dicemus, liberis parentum etiam invitorum eandem facultatem dari: neque enim modica filii ignominia est, si parentem servum habeat. — § 2. Idcirco visum est, cognatis etiam hoc dari debere.

2. GAIVS, ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa.

Quoniam servitus eorum ad dolorem nostrum injuriamque nostram porrigitur.

3. ULPIANUS, lib. 34, ad Edictum.

Amplius puto, naturalibus quoque hoc idem præstandum, ut parens filium in servitute quasitum et manumissum possit in libertatem vindicare. — § 1. Militi etiam pro necessariis sibi personis de libertate litigare permittitur. — § 2. Cum vero talis nemo alius est, qui pro eo litiget, tunc necessarium est, dari facultatem etiam matri, vel filiabus, vel sororibus ejus, cæterisque mulieribus, quæ de cognatione sunt, vel etiam uxori, adire prætorem, et hoc indicare, ut causa cognita, et invito ei succurratur. — § 3. Sed et si libertum meum, vel libertam³ dicam, idem erit dicendum.

4. GAIVS, ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa.

Sed tunc patrono conceditur pro libertate liberti⁴ litigare, si eo ignorante libertus venire se passus est.

5. ULPIANUS, [lib. 34, ad Edictum].

Interest enim nostra, libertos libertasque habere. — § 1. Quod si plures ex memoratis personis existant, qui velint pro his litigare: prætoris partes interponendæ sunt, ut eligat, quem potissimum in hoc esse existimat; quod et in pluribus patronis observari debet.

6. GAIVS, ad Edictum prætoris urbani.

Benignius autem hoc persequendum est, ut, si furiosus⁵ et infans est, qui in servitute trahitur, non solum necessariis personis sed etiam extraneis hoc permittatur.

7. ULPIANUS, lib. 34, ad Edictum.

Libris etiam hominibus, maxime si majores xx annis venum se dari passi sunt, vel in servitute quaqua ratione deduci, nihil obest, quominus possint in libertatem proclamare: nisi⁶ forte se venundari passi sunt, ut *participaverint* pretium. — § 1. Si quis minor⁷ viginti annis ad partiendum pretium, venum se dari passus est: nihil ei hoc post viginti annos nocebit. Sed si ante quidem se venum dedit, post⁸ vicesimum autem annum pretium partitus est: poterit ei libertas denegari. — § 2. Si quis sciens⁹ liberum emerit, non denegatur vendito in libertatem proclamatio adversus eum, qui eum comparavit: cujusque sit ætatis, qui emptus est: idcirco, quia non est venia dignus, qui emit, etiam si scientem prudentemque se liberum emerit. Sed enim si postea alius eum emerit ab hoc, qui scivit, ignorans: deneganda est ei libertas. — § 3. Si duo¹⁰ simul emerint partes, alter sciens, alter ignorans: videndum erit, numquid is, qui scit, non debeat nocere ignorant? quod quidem magis est. Sed enim illa erit questio: partem solam habebit is, qui ignoravit, an totum? et quid dicemus de alia parte, an ad eum, qui scit, pertineat? Sed ille indignus est quid habere, quia sciens emerit: rursum, qui ignoravit, non potest majorem partem domini habere, quam emit: evenit igitur, ut ei prosit, qui eum comparavit sciens, quod alius ignoravit. — § 4. Sunt et alix causæ, ex quibus in libertatem proclamatio denegatur: veluti si¹¹ quis ex

aqua et aquæ plur.

Tit. XII. — 1. Lib. 7, C. 16. — 2. L. 27, in pr. supr. de minor. — 3. § 2, infr. quando appell. sit. — 4. L. 4, infr. h. t. — 5. L. 3, in fin. supr. — 6. L. 5, infr. — 7. C. cod. — 8. Adde L. 1, in fin. — 9. L. 2, supr. de postuland. — 6. L. 5, C. h. t. — 7. L. 16, C. cod. — 8. L. 1, in fin. infr. quib. ad libert. proclam. — 9. L. 35, infr. h. t. — 10. L. ult. infr. tit. prox. — 11. L. 1, et tot. tit. supr. de SC. Silan.

eo testamento liber esse dicatur, quod testamentum aperiri prætor velat, quia testator a familia necatus esse dicatur: cum enim in eo sit iste, ut supplicio forte sit addiciendus, non debet liberale iudicium ei concedi. Sed et si data fuerit, quia dubitatur, utrum nocens sit, an innocens: differatur liberale iudicium, donec constet de morte ejus, qui necatus est; apparebit enim, utrum supplicio addiciendus sit, an non. — § 5. Si quis ex servitute in libertatem proclamat, petitoris¹² partes sustinet: si vero ex libertate in servitute petatur, is partes actoris sustinet, qui servum suum dicit. Igitur cum de hoc incertum est, ut possit iudicium ordinem accipere, hoc ante apud eum, qui de libertate cogniturus est, disceptatur, utrum ex libertate in servitute, aut contra, agatur? Et si forte appareuerit, eum, qui de libertate sua litigat, in *libertate sine dolo malo fuisse*: is, qui se dominum dicit, actoris partes sustinebit, et necesse habebit servum suum probare. Quod si pronuntiatum fuerit, eo tempore, quo lis præparabatur, in *libertate eum non fuisse, aut¹³ dolo malo fuisse*: ipse, qui de sua libertate litigat, debet se liberum probare.

8. Idem, [lib. 35, ad Edictum].

Cognitio de liberali causa¹⁴ usufructuario datur: etiamsi dominus quoque velit (hoc est, qui se dominum dicit) movere status controversiam. — § 1. Si plures sibi dominium servi vindicant, dicentes esse communem: ad¹⁵ eundem iudicem mittendi erunt; et ita senatus censuit; cæterum si unusquisque *stuum esse in solidum*, non in partem, dicat: cessat senatusconsultum; neque enim timor est, ne varie iudicetur: cum unusquisque solidum dominium sibi vindicet. — § 2. Sed et si alter usumfructum totum, alter proprietatem servi vindicat; item si alter dominium, alter pignorum sibi dicat: idem iudex erit; et parvi refert, ab eodem, an ab alio ei pignori datus sit.

9. GAIVS, ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa.

Si pariter adversus eum, qui de libertate litigat, consistant fructuarius¹⁶ et proprietarius: fieri potest, ut alteruter absit; quo casu, an præsentis soli permissurus sit prætor adversus eum agere, dubitari potest: quia non¹⁷ debet alterius collusionem aut inertia alteri jus corrumpi; sed rectius dicitur, etiam alterutri eorum permittendum agere, ut alterius jus incorruptum maneat. Quod si adhuc nondum finito iudicio supervenerit, ad¹⁸ eundem iudicem mittetur: nisi si justam causam adferat, quare ad eum mitti non debeat; forte si eum iudicem inimicum sibi esse adfirmet. — § 1. Idem dicemus, et si duo pluresve domini esse dicantur, et quidam præsto sint, quidam aberint. — § 2. Unde in utroque casu dispiciamus, an si is, qui prior egerit, victus sit, prosit ei, quod posterior vicerit, vel contra: id est, ut cum omnino alteruter vicerit, prosit etiam alteri; sicut prodest heredi liberti, quod in fraudem patroni servi manumissi sint? Si cui placeat prodesse, consequens est, ut eum idem petat, exceptioni rei judicate obijciatur replicatio; si cui vero placeat non prodesse, is habebit sequentem dubitationem: utrum id, in quo quis victus est, nullius erit; an ejus esse debeat, cum quo actum sit; an potius ejus, qui vicerit: scilicet ut utilis actio detur ei, qui vicerit, minime autem prætor pati debeat, ut¹⁹ pro parte quis servus sit.

10. ULPIANUS, [lib. 35, ad Edictum].

Quod autem diximus²⁰, in *libertate fuisse*, sic est accipiendum, non ut se liberum doceat is, qui liberale iudicium patitur, sed in possessione libertatis sine dolo malo fuisse. Quid sit autem *sine dolo malo fuisse*, videamus? nam Julianus ait, omnes, qui se liberos putant, sine dolo malo in libertate fuisse: si modo se pro liberis gerant, quamvis servi sint. Varus autem scribit, eum, qui se liberum sciat, dum in fuga sit, non videri sine dolo malo in libertate esse: sed simul atque desiderit quasi fugitivus se celare, et pro libero agere, tunc incipere sine dolo malo in libertate esse; etenim ait, eum, qui scit se liberum, deinde pro fugitivo agit, hoc ipso²¹ quod in fuga sit, pro servo agere:

11. GAIVS, ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa.

Licet fugæ tempore pro libero se gesserit: dicemus enim eum in eadem causa esse.

12. ULPIANUS, [lib. 35, ad Edictum].

Igitur sciendum est, et liberum²² posse dolo malo in libertate esse, et servum posse²³ sine dolo malo in libertate esse. — § 1. Infans subreptus bona fide in servitute fuit, cum liber esset; deinde cum de statu ignarus esset, recessit, et clam in libertate morari cepit: hic non sine dolo malo in libertate moratur. — § 2. Potest et servus sine dolo²⁴ malo in liber-

12. L. 5, in fin. C. h. t.; L. 8, L. 20, supr. — 13. L. 12, § 2, infr. — 14. L. 21, in pr. C. h. t.; L. 16, C. de probat. — 15. L. 9, in pr. infr. h. t. — 16. L. 9, in fin. pr. — 17. L. 30, in pr. infr. cod. — 18. Adde L. 155, in pr. infr. de reg. jur. — 19. L. 5, § 1, supr. h. t. — 20. L. 29, in pr. infr. de except. rei judic. — 21. L. 15, § 2, infr. h. t. — 22. L. 1, C. de longi tempor. præscript. quæ pro libert. — 23. L. 1, infr. h. t. — 24. L. 1, C. de longi tempor. præscript. quæ pro libert. — 25. L. 10, in

tate morari²⁵: ut puta testamento accepit libertatem, quod nullius momenti esse ignorat: vel vindicta ei imposita est ab eo, quem dominum esse putavit, cum non esset: vel educatus est quasi liber, cum servus esset. — § 3. Et generaliter dicendum est, quotiens quis justis rationibus ductus, vel non justis, sine calliditate tamen, putavit se liberum, et in libertate moratus est, [dicendum est] hunc in ea causa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit: atque ideo possessoris commodo fruatur. — § 4. Probatio autem ad id tempus referetur²⁶, cum sine dolo malo in libertate fuerit, quo primum in jus aditus est. — § 5. Si opere alicui debeantur, is quoque liberali iudicio experiri potest. — § 6. Si quod²⁷ damnum mihi dederit, qui ad libertatem proclamat, illo tempore, quo bona fide mihi serviebat (veluti si ego bona fide dominus noxali iudicio conventus et condemnatus, litis æstimationem pro eo obtuli): in id mihi condemnabitur.

13. GAIVS, ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa.

Illud certum est, damnum hoc solum in hac in factum actione deduci, quod dolo, non etiam quod culpa factum sit. Ideoque licet absolutus hoc iudicio fuerit, adhuc tamen postea cum eo poterit lege Aquilia agi, cum ea lege²⁸ etiam culpa teneatur. — § 1. Item certum est, tam res nostras, quam res alienas, quæ tamen periculo nostro sunt, in hanc actionem deduci: veluti commodatas et locatas. Certe deposita apud nos res, quia nostro periculo non sunt, ad hanc actionem non pertinent.

14. ULPIANUS, [lib. 35, ad Edictum].

Rectissime prætor calliditati eorum, qui, cum se liberos scirent, dolo malo passi sunt se pro servis venundari, occurrit: dedit enim in eos actionem²⁹. — § 1. Quæ actio totiens locum habet, quotiens non est in ea causa is, qui se venire passus est, ut ei ad libertatem proclamatio denegetur. — § 2. Dolo autem non eum fecisse accipimus, qui non ultro instruxit emptorem, sed qui decepti:

15. PAULUS, [lib. 31, ad Edictum].

Id est, sive virilis sexus, sive fœminini sit, dummodo ejus ætatis sit, ut dolum capiat.

16. ULPIANUS, [lib. 35, ad Edictum].

Imo eum, qui finxit se servum, et sic venit decipiendi emptoris causa. — § 1. Si tamen vi metuque compulsus fuit hic, qui distractus est, dicemus eum dolo carere. — § 2. Tunc habet emptor hanc actionem, cum³⁰ liberum esse nesciret: nam si scit liberum, et sic emit, ipse se circumvenit. — § 3. Quare si filiusfamilias emit, si quidem ipse scit, pater ignoravit, non adquisit patri actionem: hoc si peculiari nomine egerit. Cæterum si patre mandante, hic quaeritur, an filii scientia noceat? Et puto adhuc nocere, quemadmodum³¹ procuratoris nocet. — § 4. Plane si filius ignoravit, pater scit, adhuc dico repellendum patrem, etiam si peculiari nomine filius emit: si modo pater præsens fuit, potuitque filium emere prohibere.

17. PAULUS, [lib. 31, ad Edictum].

In servo et in eo, qui mandato nostro emit, tale est, ut si certum hominem mandavero emi, sciens liberum esse, licet is, cui mandatum est, ignoret, idem sit: et non competet ei actio. Contra autem, si ego ignoravi, procurator³² scit: non est mihi deneganda.

18. ULPIANUS, [lib. 35, ad Edictum].

In tantum ergo tenetur, quantum dedit, vel in quantum obligatus est: scilicet in duplum. — § 1. Sed utrum pretium tantum, an etiam id quod pretio accessit, duplicetur, videamus? Et putem omne omnino, quod propter emptionem vel dedit.

19. PAULUS, [lib. 31, ad Edictum].

Vel permutavit, vel compensavit eo nomine (nam³³ et is dedisse intelligendus est),

20. ULPIANUS, [lib. 35, ad Edictum].

Vel obligatus est, duplari debere. — § 1. Proinde si quid cuidam ob hanc actionem licito jure dedit, dicendum est, in hoc edictum cadere, duplicative³⁴. — § 2. Obligatum vel ipsi venditori accipere debemus, vel alii obligatum. Nam quod dedit, sive ipsi venditori, sive alii [ex] jussu ejus: sive ipse, sive alius dederit, æque continebitur. — § 3. Obligatum accipere debemus, si³⁵ exceptione se tueri non potest: cæterum si potest, dicendum non esse obligatum. — § 4. Interdum evenit, ut is, qui

pr. supr. h. t. — 26. L. 7, in fin. supr. cod. — 27. L. 13, L. 41, § 1, infr. cod. — 28. L. 44, in pr. supr. ad leg. Aquil. — 29. L. 22, in pr. infr. h. t. — 30. L. 4, L. 6, in pr. supr. de contrah. empt. — 31. L. 17, L. 22, § 5, infr. h. t.; L. 51, § 1, supr. de edil. edict. — 32. L. 16, § 3, in fin. supr. h. t. — 33. L. 76, infr. de verb. sign. — 34. L. 18, supr. h. t. — 35. L. 10, infr. de verb. sign.

comparavit, habeat in quadruplum actionem; nam in ipsum quidem, qui sciens pro servo venit, hinc habet in duplum actionem: et præterea in venditorem, vel eum, qui duplam promisit, in duplum actio est;

21. *MODESTINUS*, [lib. 1, de Penis].

Utique ejus duplum, quod propter emptionem vel dedit, vel obligatus est. Secundum quæ id, quod alter eorum solverit, nihil ad exonerandum alterum pertinebit: quia³⁶ placuit hanc actionem penalem esse. Et ideo post³⁷ annum non datur. Nec cum successoribus, cum sit penalis, agitur. [Cum] actionem quæ ex hoc edicto oritur, manumissione non extinguitur: quia verum est auctorem conveniri non posse, post quem ad eum, qui ad libertatem proclamavit, perveniebatur.

22. *ULPIANUS*, [lib. 53, ad Edictum].

Non solus autem emptor, sed et successores ejus hac³⁸ in factum actione agere poterunt. — § 1. *Emore* sic accipiemus, etiam si per alium quis emerit, ut puta procuratorem. — § 2. Sed etsi plures emerint, omnes habebunt hanc actionem: sic tamen, ut si quidem pro partibus emerint, pro parte pretii habeant actionem; enimvero si unusquisque in solidum, quisque in solidum habeat actionem, nec alterius scientia alteri nocebit, vel ignorantia proderit. — § 3. Si eum liberum esse emptor nescit: postea autem scire cepit, hoc ei non nocebit: quia tunc ignoravit. Sed si tunc scivit, postea dubitare cepit, nihil proderit. — § 4. Heredi et ceteris successoribus scientia sua nihil nocet, ignorantia nihil prodest. — § 5. Sed si³⁹ per procuratorem scientem quis emerit, ei nocet: sicuti tutoris quoque nocere Labeo putat. — § 6. Hæc actio post annum non datur, cum sit honoraria: est autem et penalis.

23. *PAULUS*, [lib. 50, ad Edictum].

Si usumfructum tibi vendidero liberi hominis, et cessero: servum effici eum dicebat Quintus Mucius; sed dominium ita demum fieri meum, si bona fide vendidissem: alioquin sine domino fore. — § 1. In summa sciendum est, quæ de venditis servis, quibus denegatur ad libertatem proclamatio, dicta sunt, etiam ad donatos, et in dotem datos referri posse: item ad eos qui pignori se dari passi sunt. — § 2. Si mater et filius de libertate litigant: aut conjungenda sunt utrorumque judicia, aut differenda est causa filii, donec de matre constet; sicut divus quoque Hadrianus decrevit; nam cum apud alium judicem mater litigabat, apud alium autem filius: Augustus dixit ante de matre constare oportere, sic dein[de] de filio cognosci.

24. *Idem*, [lib. 51, ad Edictum].

Ordinata liberali causa, liberi⁴⁰ loco habetur is, qui de statu suo litigat: ita ut adversus eum quoque qui se dominum esse dicit, actiones ei non denegentur, quasquæ intendere velit; quid enim si [quæ] tales sint, ut tempore aut morte intereat? quare non concedatur ei litem contestando in tutum eas redigere? — § 1. Quinetiam Servius ait, in actionibus annuis ex eo tempore annum cedere, ex quo lis ordinata sit. — § 2. Sed si cum aliis experiri velit, non est querendum, an lis ordinata sit: ne inveniatur ratio, quemadmodum subjecto aliquo qui libertati controversiam moveat, interim actiones excludantur; æque enim, ex eventu iudicii liberalis, aut utilis aut inanis actio ejus efficietur. — § 3. Sed si quas actiones inferat dominus, queritur, an compellendus sit suscipere iudicium? Et plerique existimant, si in personam agat, suscipere ipsum ad litem contestationem, sed sustinendum iudicium, donec de libertate iudicetur; nec videri præiudicium libertati fieri, aut voluntate domini in libertate eum morari: nam ordinato liberali iudicio, interim pro libero habetur; et sicut ipse agere, ita cum ipso quoque agi potest; cæterum ex eventu, aut utile iudicium erit, aut nullum, si contra libertatem pronunciatum fuerit. — § 4. Si is, qui in libertatem proclamat, furti aut damni injuria ab aliquo arguatur, Mela ait, interim eum cavere debere iudicio se sisti: ne melioris conditionis sit⁴¹, qui dubiæ libertatis est, quam qui certæ: sed sustinendum iudicium, ne præiudicium libertati fiat. Æque si cum possessore hominis furti agi cæperit, deinde is, cujus nomine agebatur, in libertatem proclamaverit, sustinendum iudicium: ut si liber iudicatus sit, in ipsum transferatur iudicium; et si damnatio facta sit, iudicati actionem potius in eum dandam.

25. *GAIVS*, [ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa].

Si cui de libertate sua litiganti optio legata sit, quæcunque hereditate ei relicta dicantur, eadem et de optione tractari possunt. — § 1. Interdum ex⁴² integro datur ad libertatem proclamatio, veluti ejus, qui ad-

36. L. 11, § 2, in fin. supr. ad leg. Aquil. — 37. L. 35, in pr. infr. de oblig. et act. — 38. L. 14, in pr. supr. h. t. — 39. L. 10, § fin. supr. de fideicom. libert. — 40. L. 26, § pen. supr. h. t. — 41. L. 24, § 4, C. cod. — 42. Adde L. 4, circa pr. infr. tit. prox. — 43. L. 2, C. h. t. — 44. L. 2, § 4, C. de rebus, cæterum, infr. de except. rei jud. — 45. L. 24, in pr. supr.; L. 14, C. h. t. — 46. L. 12, § 4, supr. de usufr.; L. 1, § 14; L. 56, in fin. infr. de acquir. vel amit. possess. —

firmat ideo se primo iudicio victum, quod statuta libertas nondum ei obligata, quam nunc dicit sibi obtigisse. — § 2. Licet vulgo dicatur, post ordinatum⁴³ liberale iudicium hominem, cujus de statu controversia est, liberi loco esse: tamen si servus sit, certum est nihilominus eum, quod ei tradatur, vel stipuletur, perinde domino acquirere, atque si non de libertate ejus quærebatur; tantum de possessione videbimus, cum ipsum post litem ordinatam desinat dominus possidere. Sed magis est ut adquirat, licet ab eo non possideatur: et cum placuit per fugitivum quoque nos possessionem acquirere⁴⁴ posse, quid mirum, etiam per hunc, de quo quæramus, adquiri?

26. *Idem*, [lib. 20, ad Edictum provinciale].

Qui ex libertate in servitutem petit, si iudicii de evictione servandi causa, contra libertatem agit: injuriarum⁴⁵ actione non convenitur.

27. *ULPIANUS*, [lib. 2, de officio Consul].

Divi fratres Proculo et Munatio rescriperunt: Cum Romulus, de cuius statu queritur, pupillaris ætatis sit: an exigente Varia Hedone matre, et consentiente [Vario Hermete] tutore, ad tempus pubertatis causa⁴⁶ differenda sit, vestra gravitas est ex fide personarum, quod utile est pupillo, constituere. — § 1. Si ea persona desit cognitioni, quæ alicui status controversiam faciebat: in eadem causa est, qui de libertate sua litigat, qua fuit, priusquam de libertate controversiam patiatur. Sane hoc lucrat, quod is, qui eam status controversiam faciebat, amittit suam⁴⁷ causam. Nec⁴⁸ ea res ingenuum facit eum, qui non fuit: nec enim penuria adversarii ingenuitatem solet tribuere. Recte atque ordine iudices putato facturos, si hanc formam fuerint consecuti: ut ubi deest is, qui in servitutem petit, electionem adversario deferant, utrum malit cognitionem circumduci, an audita causa sententiam proferri; et si cognoverint, pronunciare debebunt, servum illius non videri; neque hæc res captionem ullam habet: cum non ingenuus pronuncietur, sed servus non videri. Quod si ex servitute in ingenuitatem se allegat: melius fecerint, si cognitionem circumduxerint, ne sine adversario pronuncient, ingenuum videri; nisi magna causa suadeat, et evidentes probationes suggerant, secundum libertatem pronunciant; ut etiam rescripto Hadriani continetur. — § 2. Quod si is, qui pro sua libertate litigat, desit, contradictor vero præsens sit: melius erit in augeri causam ejus, sententiamque proferri; si enim liquebit, contra libertatem dabit; evenire autem potest, ut etiam⁴⁹ absens vincat: nam potest sententia etiam secundum libertatem ferri.

28. *POMPONIUS*, [lib. 12, ad Quintum Mucium].

Non videtur domini voluntate servus in libertate esse, quem dominus ignorasset suum esse: et est hoc verum; is enim demum voluntate domini in libertate est, qui possessionem libertatis ex voluntate domini consequitur.

29. *ARRIUS MENANDER*, lib. 1, de Re militari.

Qui de libertate sua litigans necdum sententia data militiæ se dedit, in pari causa cæteris⁵⁰ servis habendus est: nec exonerat eum, quod pro libero habeatur in quibusdam; et licet liber apparuerit, exactoratus, id est, militia remotus, castris rejicietur: utique qui ex servitute in libertatem petitus sit, vel qui non sine dolo malo in libertate moratus est. Qui vero per calumniam petitus in servitutem est, in militia retinebitur. — § 1. Qui ingenuus pronunciat est, si se militiæ dedit, intra⁵¹ quinquennium retractata sententia, novo domino reddendus est.

30. *JULIANUS*, lib. 5, ex Minicio.

Duobus⁵² petentibus hominem in servitutem pro parte dimidia separatim, si uno iudicio liber, altero servus iudicatus est, commodissimum est eo usque cogi iudices, donec consentiant: si id non contingit, Sabinum refertur existimasse duci servum debere ab eo qui vicisset: ejus sententiæ Cassius quoque est, et ego sum. Et sane ridiculum est arbitrari eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem ejus tueri: commodius autem est, favore libertatis liberum quidem eum esse, compelli autem pretii sui partem viri boni arbitrata victori suo præstare.

31. *ULPIANUS*, lib. 1 Responsorum.

Filius ob hoc, quod patri⁵³ heres extitit, prohiberi a patre suum servum manumissum in servitutem petere.

32. *PAULUS*, lib. 6 Regularum.

De bonis eorum qui ex servitute aut libertinitate in ingenuitatem vin-

45. L. 12, infr. de injur. — 46. L. 2, § 2, supr. de Carbon. edict. — 47. L. 55, in pr. infr. de rei jud. — 48. L. 7, C. de ingen. manumiss. — 49. L. 40, C. h. t. vide tamen L. 1, § 2, C. de adsert. toll. — 50. L. 8, L. 11, infr. de re milit. — 51. L. 2, in pr. infr. de collus. deteg. — 52. L. 9, in pr. supr. h. t. — 53. L. 7, C. cod.

dicati sunt, senatusconsultum factum est: ut quæcunque de his quidem qui ex servitute defensi essent, ut id duntaxat ferrent, quod in domo ejusque intulissent; in eorum autem bonis, qui post manumissionem repetere originem suam voluissent, hoc amplius, ut, quod post manumissionem quoque adquisissent non ex re manumissoris, secum ferant, cætera bona relinquerent illi, ex cujus familia exissent.

33. *Idem*, lib. singul. de liberali Causa.

Qui sciens⁵⁴ liberum emit, quamvis et ille se pateretur venire, tamen non potest contradicere ei qui ad libertatem proclamat: sed si alii eum ignoranti vendiderit, denegabitur⁵⁵ ei proclamatio.

34. *ULPIANUS*, lib. singul. Pandectarum.

Imperator Antoninus constituit, non alias ad libertatem proclamationem cuiquam permittendam, nisi⁵⁶ prius administrationum rationes reddiderit, quas, cum in servitute esset, gessisset.

35. *PAPINIANUS*, lib. 9 Responsorum.

Servos ad templi custodiam, quod ædificari Titia voluit, destinatos, neque manumissos, heredis esse constituit.

36. *Idem*, [lib. 12 Responsorum].

Dominus, qui obtinuit, si velit servum suum abducere, litis æstimationem pro eo accipere non cogetur.

37. *CALLISTRATUS*, [lib. 2 Questionum].

Conventio⁵⁷ privata neque⁵⁸ servum quemquam, neque libertum aliquis facere potest.

38. *PAULUS*, [lib. 15 Responsorum].

Paulus respondit: Si (ut proponitur) post perfectam sine ulla conditione emptionem, postea emptor ex voluntate sua literas emisit, quibus profiteretur, se post certum tempus manumissurum eum, quem emerat: non videri eas literas ad constitutionem D. Marci pertinere. — § 1. Idem respondit, constitutionem quidem D. Marci ad libertatem⁵⁹ eorum mancipiorum pertinere, quæ ac lege venierint, ut post tempus manumitterentur: sed eundem favorem, libertatis consequendæ causa, etiam eam mereri, pro⁶⁰ quæ dominus pretium accepit, ut ancillam suam manumitteret; eum idem etiam libertatem habiturus sit. — § 2. Quesitum est, an emptor servo recte libertatem dederit nondum pretio soluto? Paulus respondit, servum, quem venditor emptori tradidit, si ei pro pretio⁶¹ satisfactum est, et nondum pretio soluto, in bonis emptoris esse expisse. — § 3. Gaius Scius Stichum servum Lucio Titio vendidit ita, ut Titius Stichum post triennium manumitteret, si continuo triennio servisset: sed nondum exacto tempore triennii, Stichus fugit, et post aliquantulum temporis defuncto Titio revertit. Quæro, an obstat Sticho ad adsequendam ex venditione libertatem, quod ante triennium discesserit? Paulus respondit, secundum ea, quæ proponuntur, expleto⁶² tempore, post quod Stichus manumitti debuit, libertatem ei competisse.

39. *Idem*, [lib. 5 Sententiarum].

Cui necessitas probandi de ingenuitate sua non incumbit, ultro⁶³ si ipse probare desideret, audiendus est. — § 1. Qui de ingenuitate cognoscunt, de calumnia⁶⁴ ejus, qui temere controversiam movit, ad modum exilii possunt ferre sententiam. — § 2. Tutores vel curatores pupillorum, quorum tutelam et res administraverunt, postea status questionem facere non possunt. — § 3. Maritus uxori eademque libertæ status questionem inferre non prohibetur.

40. *HERMOGENIANUS*, [lib. 5 juris Epitomarum].

Cum pacto partitionis⁶⁵ pretii major viginti annis venale⁶⁶ se præbuit: nec post manumissionem ad libertatem proclamare potest.

41. *PAULUS*, [lib. singul. de Articulis liberalis Causæ].

Si in obscuro sit, in quo fuerit status is, qui pro libertate sua litigat, prior audiendus est probare volens se ipsum in libertatis esse possessionem. — § 1. Iudex autem, qui de libertate cognoscit, etiam de⁶⁷ rebus amotis, damnove magno facto cognoscere debet: fieri enim potest, ut fiducia libertatis et subripere quædam, et corrumpere, atque consumere ex bonis, quibus serviebat, ausus sit.

42. *LABEO*, lib. 4 Posteriorum.

Si servus, quem emerat, ad libertatem proclamavit, et ab iudice per-

54. L. 7, § 2, supr. cod. — 55. Immo vide L. 57, infr. cod. — 56. L. ult. C. quib. ad libert. proclam. — 57. L. 10, C. h. t. — 58. Immo vide L. 58, supr. cod. — 59. L. 1, L. 3, supr. qui sine manumiss. — 60. L. 2, C. si mancip. ita fuerit alien. — 61. L. 4, C. de t. si mancip. — 62. L. 9, L. 53, supr. de contrah. empt. — 63. L. 34, circa fin. supr. de statulib. — 64. L. 24, in fin. supr. de probat. — 65. L. 51, C. h. t. — 66. L. 5, § 2, supr. de statu homin. — 67. L. 6, § 2, supr. de injust. rupt. initio facio testam. — 68. L. 59, § 1, C. de re judic. — 69. L. 57, in pr. supr. de fi.

peram pro eo iudicatum est, et dominus ejus servi, post rem contra te iudicatum⁶⁸, te heredem fecit, aut aliquo nomine is tuus esse cepisset, petere eum tuum esse poteris: nec tibi obstat rei iudicata præscriptio. Javolenus: Hæc vera sunt.

43. *POMPONIUS*, [lib. 3 Senatusconsultorum].

De his, qui bona eorum, quibus serviebant, intercepissent, deinde ad libertatem proclamabant, Hadrianus imperator rescripsit: cujus rescripti verba hæc sunt, *Sicut non est æquum fiducia libertatis, quæ ex fidei commissi causa præstanda est, intercepte hereditariam pecuniam: ita nec libertati præstandæ moram queri oportet*. Quam primum ergo⁶⁹ arbitrum dare debeat, apud quem constaret quid servari potest heredi, antequam ad servum manumittendum compelleretur.

44. *VENULEIUS*, lib. 7 Actionum.

Licet dubitatum antea fuit, utrum servus duntaxat, an libertus⁷⁰ jurando patrono obligaretur in his, quæ libertatis causa imponuntur: tamen verius est non aliter quam liberum obligari. Ideo autem solet jurandum a servis exigere, ut hi religione adstricti, posteaquam suæ potestatis esse cepissent, iurandi necessitatem haberept: dummodo in continenti, cum manumissus est, aut juret, aut promitteret. — § 1. Licet autem circa domum, manus, operas, etiam uxorum personas inserere. — § 2. In eum, qui impubes juraverit, [scilicet] qui et jurare potuerit, danda est utilis actio operarum nomine, cum pubes tamen factus erit: potest⁷¹ tamen et impubes operas dare, veluti⁷² si nomenclator sit, vel histrio.

TIT. XIII.

QUIBUS AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON LICET.

1. *ULPIANUS*, [lib. 2, de officio Proconsulis].

Majores viginti annis ita demum ad libertatem proclamare non possunt, si pretium⁷³ ad ipsum, qui venit pervenerit. Ex cæteris autem causis quamvis major viginti annis se venundari passus sit, ad libertatem ei proclamare licet. — § 1. Minori autem viginti annis ne quidem ex causa supra scripta debet denegari libertatis proclamatio: nisi major annis viginti factus, duravit in servitute: tunc⁷⁴ enim si pretium partitus sit, dicendum erit denegari ei debere libertatis proclamationem.

2. *MARCELLUS*, lib. 24 Digestorum.

Servum quis per vim a Titio accepit, et testamento liberum esse iussit: quanquam solvendo decesserit, non erit ille liber; alioquin fraudabitur Titius, qui, non procedente quidem libertate, cum herede ejus agere potest; at si ad libertatem servus pervenerit, nullam actionem habiturus est, quia nihil videbitur heres ex defuncti dolo consecutus.

3. *POMPONIUS*, lib. 11 Epistolarum et variarum Lectionum.

Eis, qui se passi sint venire, ad libertatem proclamandi licentiam denegari. Quæro, an et ad eos, qui ex mulieribus, quæ se passæ sint venire, nascuntur, ista senatusconsulta pertinent? Dubitari non potest, quin ei quoque, quæ major annis viginti venire se passa est, ad libertatem proclamandi licentia fuerit deneganda. His quoque danda non est, qui ex ea nati tempore servitutis ejus erunt.

4. *PAULUS*, lib. 12 Questionum.

Licinius Rufinus Julio Paulo: Is, qui fideicommissa libertas debebatur, post xx annum venire se passus est. Quæro, denegandum sit ei ad libertatem proclamare? Movet me exemplum cujusvis liberi hominis: nam etsi consecutus [esset] libertatem, se vendidisset, denegaretur ei ad libertatem proclamare: nec debet⁷⁵ meliori loco intelligi, quod in servitute constitutus, passus est se venundari, quam si esset libertatem consecutus; sed e contrario movet me, quod in hoc, de quo queritur, venditio constituit, et est qui veneat: in libero autem homine neque venditio constituit, et nihil est, quoniam veneat. Peto itaque plenissime instruas. Respondit, venditio quidem tam servi quam liberi contrahi potest, et stipulatio de evictione⁷⁶ contrahitur; non enim de eo loquimur, qui sciens⁷⁷ liberum emit: nam adversus hunc nec ad libertatem proclamatio denegatur. Sed is, qui adhuc servus est, etiam invitus venire potest: quamvis et ipse in eo

deicom. libert. — 70. L. 7, in pr. supr. de oper. libert. — 71. L. 24, in fin. supr. de statulib. — 72. L. 3, supr. de rei vind. Immo vide L. 12, § 3, supr. de usufr. — 73. L. ult. § 1, supr. de oper. servor. — 74. L. 7, § 3, supr. de oper. libert. — 75. L. 11, § 1, C. de lib. caus. — 76. L. 1, C. h. t. — 77. L. 7, § 1, — 4. Adde L. 24, § ult. supr. tit. prox. — 5. L. 59, § 3, supr. de evict. adde § ult. inst. de empt. — 6. L. 4, L. 5, L. 70, supr. de contrah. empt. § ult. inst. de empt. — 78. L. 33, supr. tit. prox.

malus sit, quod de conditione sua dissimulat; cum in sua potestate habeat, ut statim ad libertatem perveniat. Quod quidem non potest ei imputari, cui nondum libertas debetur; pone statuliberum passum se venundari: nemo dicturus est, superveniente conditione, quæ non fuit in ejus potestate, libertatis petitionem ei denegandam; idem puto etiam si in ipsius potestate fuit conditio. Sed in proposito magis probandum est, ut denegetur ei libertatis petitio, qui potuit petere libertatem, et maluit se venundari: quis indignus est auxilio prætoris fideicommissarii.

5. *Idem*, lib. singul., ad senatusconsultum Claudianum.

Si duo⁷ liberum hominem majorem annis viginti emerimus, unus sciens ejus conditionem, alter ignorans; an non propter eum, qui scit, ad libertatem ei proclamare permittitur, sed propter eum, qui ignorat, servus efficitur? Sed non etiam ejus, qui scit, sed tantum alterius.

TIT. XIV.

SI INGENUUS ESSE DICETUR.

1. MARCELLUS, lib. 7 Digestorum.

Si libertus alterius alio agente ingenuus pronunciatus esse dicitur, sine ulla exceptione temporis, patronus ejus cognitionem solet exercere.

2. SATURNINUS, [lib. 1, de officio Proconsulis].

Qui se venire passus esset majorem, scilicet ut pretium ad ipsum perveniret, prohibendum⁴ de libertate contendere D. Hadrianus constituit: sed interdum ita contendendum permisit, si pretium [suum] reddidisset. — § 1. Qui se ex libertinitate ingenuitati adserant, non² ultra quinquennium, quam manumissi fuissent, audiuntur. — § 2. Qui post quinquennium reperisse instrumenta ingenuitatis suæ adseverant, de ea re ipsos principes adire oportere cognoscitur.

3. POMPONIUS, [lib. 3 Senatusconsultorum].

Hoc sermone, *agnitis natalibus*, de nullis aliis intelligendum est senatum sensisse, quam ingenuis. — § 1. Verbo autem, *relinquerent*, etiam hoc intelligendum est, ut quæcunque ex re ejus, a quo manumissi erant, acquisita habeant, restituant³. Sed id quemadmodum accipiendum sit, videndum est: utrumne quæ ignorantibus dominis abstulissent, item quod ex his acquisitum, reddere debeant; an vero etiam concessa et donata a manuissoribus amplexi sint? quod magis est.

4. PAPINIUS, [lib. 22 Questionum].

Oratio, quæ prohibet apud consules, aut præses provinciarum post⁴ quinquennium a die manumissionis in ingenuitate proclamare, nullam causam aut personam excipit.

5. *Idem*, [lib. 10 Responsorum].

Patronum post quinquennium sententiæ pro ingenuitate dictæ, quo ignorante res judicata est, non esse præscriptione temporis summoven- dum respondi.

6. ULPIANUS, [lib. 38, ad Edictum].

Quotiens de hoc contenditur, an quis libertus sit: sive operæ petantur, sive obsequium desideretur, sive etiam famosa actio intendatur, sive in jus vocetur, qui se patronum dicit, sive nulla causa interveniat, redditur⁵ præjudicium. Sed et quotiens quis libertinum quidem se confitetur, libertum autem Gaii Seii se negat, idem præjudicium datur⁶. Redditur autem alterutro desiderante. Sed actoris partibus semper⁷, qui se patronum dicit, fungitur, probareque libertum suum necesse habet: aut, si non probet, vincitur.

TIT. XV.

NE DE STATU DEFUNCTORUM POST QUINQUENNII QUÆRATUR.

1. MARCIANUS, [libro sing. de Delatoribus].

De statu defunctorum post² quinquennium querere non licet, neque privatim, neque fisci nomine. — § 1. Sed nec ejus status retractandus

7. L. 7, § 3, supr. tit. pro.
Tit. XIV. — 1. L. 1, in pr. supr. quib. ad libert. proclam. — 2. L. 4, infr. h. t. *strog.* L. ult. C. ubi causa status. — 3. L. 1, in fin. C. de ingen. manumissis. — 4. L. 3, § 1, supr. h. t. — 5. L. 5, § 18, supr. de agnos. et aliend. liber. — 6. L. 5, C. de ingen. manum. — 7. L. 18, in pr. supr. de probat. — 7. *Fide* tamen L. 14, supr. d. t.
Tit. XV. — 1. Lib. 7, C. 11. — 2. L. ult. in pr. infr. L. 4, C. h. t. — 3. L. 1, C. eod.

est, qui intra quinquennium decessit, si per hujus questionem præjudicium futurum est ante quinquennium mortuo. — § 2. Imo nec de *vivi statu querendum est, si questio hujus præjudicium facit ei, qui ante quinquennium decessit*: et ita D. Hadrianus constituit. — § 3. Sed interdum et intra quinquennium non licet de statu defuncti dicere? Nam oratione divi Marci cavetur, ut si quis ingenuus pronunciatus fuerit, liceat ingenuitatis sententiam retractare: sed *vivo eo, qui ingenuus pronunciatus est, non etiam post mortem; in tantum, ut etiam si cepta questio fuit retractationis, morte ejus extinguatur*, ut eadem oratione cavetur. — § 4. Si quidem in deteriore conditionem quis statum retractaret, secundum ea, quæ dixi, præscribendum est. Quid ergo, si in meliorem: veluti pro servo libertus dicitur [quare non admittatur? quid enim, si servus quis dicitur], quasi ex ancilla natus, quæ ante quinquennium mortua est? quare non liceat probare liberam fuisse: hoc enim et pro mortua est? Et Marcellus lib. 3 de officio Consulis scripsit, posse: ego quoque in auditorio publico idem secutus sum.

2. PAPINIUS, lib. 14 Responsorum.

Non esse libertatis questionem filiis inferendam propter matris vel patris memoriam post quinquennium a morte non retractalam convenit. — § 1. Nec in ea re, quæ publicam tutelam meruit, pupillis agentibus restitutionis auxilium tribuendum est, quod quinque annorum tempus, cum tutores non haberent, excesserit. — § 2. Præscriptio³ quinque annorum, quæ statum defunctorum tuetur, specie litis ante mortem illata non fit irrita, si veterem causam, desistente qui movit, longo silentio finitum probetur.

3. HERMOGENIANUS, lib. 6 juris Epitomarum.

Ante quinquennium defuncto status honestior⁴, quam mortis tempore fuisse existimabatur, vindicari non prohibetur. Idcirco etsi quis in servitute moriatur, post quinquennium liber decessisse probari potest.

4. CALLISTRATUS, lib. 1, de jure Fisci.

Primus omnium D. Nerva edicto vetuit, post quinquennium mortis cujusque de statu queri. — § 1. Sed et divus Claudius Claudiano rescripsit, si per questionem nummariam præjudicium statui videbatur fieri, cessare questionem.

TIT. XVI.

DE COLLUSIONE DETEGENDA.

1. GAIVS, lib. 2, ad Edictum prætoris urbani, titulo de liberali Causa.

Ne quorundam dominorum erga servos nimia indulgentia inquinaret amplissimum ordinem, eo quod paterentur servos suos in ingenuitatem proclamare, liberosque judicari: senatusconsultum² factum est Domitiani temporibus, quo cautum est, ut si quis probasset per collusionem quicquam factum, si iste homo servus sit, fieret ejus servus, qui decessisset collusionem.

2. ULPIANUS, lib. 2, de officio Consulis.

Collusionem detegere ingenuitatis post sententiam⁵ intra quinquennium posse, divus Marcus constituit. — § 1. Quinquennium autem continuum utique accipimus. — § 2. Scilicet plane ætas ejus, cujus retractatur collusio, differendam retractationem in tempus pubertatis vel alterius rei suadet: quinquennium non currere dicendum est. — § 3. Quinquennium autem non ad perficiendam retractationem, sed ad inchoandam puto præfinitum: aliter atque circa eum, qui ex libertinitate se in ingenuitatem petit. — § 4. Oratione divi Marci cavetur, ut etiam extraneis, qui pro altero postulandi jus haberent, liceret detegere collusionem.

3. CALLISTRATUS, lib. 4, de Cognitionibus.

Cum non⁴ justo contradicere quis ingenuus⁵ pronunciatus est, perinde inefficax est decretum, atque si nulla judicata res intervenisset: idque principalibus constitutionibus cavetur.

4. ULPIANUS, [lib. 1, ad legem Juliam et Papiam].

Si libertinus per collusionem⁶ fuerit pronunciatus ingenuus, collusionem detecta, in quibusdam causis quasi libertinus incipit esse. Medio tamen tempore, antequam collusio detegatur, et post sententiam de ingenuitate latam, utique quasi ingenuus accipitur.

— 4. L. 1, § ult. supr. eod.
Tit. XVI. — 1. Lib. 7, C. 10; L. 1, § 1, supr. de jure auct. annul. — 2. L. ult. C. h. t. — 3. L. 3, supr. de jure auct. annul. — 4. L. 29, in fin. supr. de liberali cau. — 4. L. 1, C. de ingen. manumissis. — 5. L. 25, supr. de statu homin. — 6. L. 1, supr.; L. 1, L. 2, C. h. t.; L. 4, in fin. C. de serv. fugitiv.

5. HERMOGENIANUS, [lib. 5 juris Epitomarum].

Sententiam pro ingenuitate dictam, et collusionis prætextu semel retractare permittitur. — § 1. Si plures ad collusionem detegendam pariter accedant, causa cognita, quis debeat admitti, comparatis omnium moribus, et ætatibus, et⁷ ejus magis interest, statui oportet.

LIBER QUADRAGESIMUS PRIMUS.

TIT. I.

DE ADQUIRENDO RERUM DOMINIO.

1. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Quarundam rerum dominium nanciscimur² jure gentium, quod ratione naturali inter omnes homines peraeque servatur: quarundam jure civili, id est, jure proprio civitatis nostræ. Et quia antiquius jus gentium cum ipso genere humano proditum est, opus est, ut de hoc prius referendum sit. — § 1. Omnia³ igitur animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id est, feræ bestię, [et] volucres, pisces, capientium fiunt:

2. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

Vel quæ ex his apud nos sunt⁴ edita.

3. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur. — § 1. Nec interest⁵, quod ad feras bestias et volucres, utrum in suo fundo quisque capiat, an in alieno. Plane qui in alienum fundum ingreditur venandi aucupandive gratia⁶, potest⁷ a domino, si is providerit, jure prohiberi, ne ingrederetur. — § 2. Quidquid autem eorum ceperimus, eo usque nostrum esse intelligitur⁸, donec nostra custodia coercetur; cum vero evaserit custodiam nostram, et in naturalem⁹ libertatem se receperit: nostrum esse desinit, et rursus occupantis fit.

4. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

Nisi¹⁰, si mansueti emitti ac reverti solita sunt.

5. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Naturalem¹¹ autem libertatem recipere¹² intelligitur, cum vel oculos nostros effugerit, vel ita sit in conspectu nostro, ut difficilis sit ejus persecutio. — § 1. Illud questum est, an fera bestia, quæ ita vulnerata sit, ut capi possit, statim nostra esse intelligatur. Trebatio placuit statim nostram esse, et eo usque nostram videri, donec eam persequamur; quod si desiderimus eam persequi: desinere nostram esse, et rursus fieri occupantis; itaque si per hoc tempus, quo eam persequimur, alius eam ceperit eo animo, ut ipse lucrificaret: furtum videri nobis eum commississe. Plerique non aliter putaverunt eam nostram esse, quam si eam ceperimus: quia multa accidere possunt, ut eam non capiamus: quod¹³ verius est. — § 2. *Apium*¹⁴ quoque natura fera est. Itaque quæ in arbore nostra considerint, antequam a nobis alveo concludantur, non magis nostræ esse intelliguntur, quam volucres, quæ in nostra arbore nidum fecerint. Ideo si alius eas incluserit, earum dominus erit. — § 3. Favos¹⁵ quoque si quis hæ fecerint, sine¹⁶ furto quilibet possidere potest. Sed [ut supra quoque diximus] qui in alienum fundum ingreditur, potest a domino, si is providerit, jure prohiberi ne ingrederetur. — § 4. Exam¹⁷, quod ex alveo nostro evolaverit, eo¹⁸ usque nostrum esse intelligitur, donec in conspectu nostro est, nec difficilis ejus persecutio est: alioquin occupantis fit. — § 5. *Pavonium*¹⁹ et *columbarum* fera natura est²⁰. Nec ad rem pertinet, quod ex consuetudine avolare solent. Nam et apes idem faciunt, quarum constat feram esse naturam. *Cervos*²¹ quoque ita quidam mansuetos habent, ut in sylvas eant et redant: quorum et ipsorum feram esse naturam nem negat. In his au-

7. L. 5, in fin. infr. de popul. act.
Tit. I. — 1. Lib. 2, Inst. 1. — 2. § 1, Inst. de rer. divis. — 3. § 12, Inst. d. t. — 4. L. 6, infr. h. t. — 5. § 4, § 12, — 6. L. 16, supr. de servit. præd. rustic. — L. un. C. de thesaur. lib. 10, tit. 15. — 7. L. 5, § 3, infr. h. t. — 8. L. 1, § 16, supr. si quadrupes pauper. — 9. L. 8, in pr. infr. h. t. — 10. L. 44, infr. eod. — 11. L. 5, in fin. supr. d. t. — 12. § 1, Inst. de rer. divis. — 13. L. 55, vers. summam, infr. h. t. — 14. § 13, Inst. de rer. divis. — 15. § 24, Inst. d. t. — 16. § 14, — 16. L. 26, in pr. infr. de furt. — 17. § 24, in fin. — 18. L. 3, § 16, infr. de acquir. vel amitt. poss. — 19. § 15, Inst. de rer. divis. — 20. *Fide* tamen L. 37, infr. de furt. — 21. d. § 15. — 22. Arg. L. 4, supr. h. t. — 23. L. 8, § 1, supr. famul. ercise. — 24. § 16, Inst. de rer. divis. — 25. *Adde* L. 44, infr. h. t. — 26. L. 7, in pr.

tem animalibus, quæ consuetudine abire et redire solent, talis regula²² comprobata est, ut *eousque nostra esse intelligantur, donec²³ revertendi animum habeant*: quod [si] desiderint revertendi animum habere, *desinant nostra esse, et fiant occupantium*. Intelliguntur autem desinisse revertendi animum habere tunc, cum revertendi consuetudinem deseruerint. — § 6. *Gallarum*²⁴ et *anserum* non est fera natura: palam est enim alias esse feræ gallinas, et alios feros anseres. Itaque si quolibet modo anseres mei, et gallinæ meæ, turbati²⁵ turbatæ adeo longius evolaverint, ut ignoremus ubi sint: tamen nihilominus in nostro dominio tenentur. Qua de causa furti nobis tenebitur, qui quid eorum lucrandi animo apprehenderit. — § 7. Item quæ ex²⁶ hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fiunt.

6. FLORENTINUS, lib. 6 Institutionum.

Item quæ²⁷ ex animalibus dominio nostro eodem jure subjectis nata sunt.

7. GAIVS, lib. 2 Rerum cottidianarum sive aureorum.

Adeo quidem ut et liberi homines in servitutum deducantur: qui tamen, si evaserint hostium potestatem, recipiunt pristinam libertatem. — § 1. Præterea quod per alluvionem²⁸ agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur²⁹. Per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus quantum quoquo momento temporis adjiciatur. — § 2. Quod si³⁰ vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraxerit, et meo prædio attulerit, palam est eam tuam permanere³¹. Plane si longiore tempore fundo meo hæserit, arboresque, quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint, ex eo tempore videtur meo fundo acquisita esse. — § 3. *Insula*³², quæ in mari nascitur (quod raro accidit) occupantis fit: nullius enim esse creditur. In flumine nata (quod frequenter accidit), si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque prædii, quæ latitudo prope ripam sit: quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident. — § 4. Quod si uno latere perripuerit flumen, et alia [parte] novo rivo fluere cœperit: deinde infra novus iste rivus in veterem se converterit: ager qui a duobus rivis comprehensus, in formam³³ insulæ redactus est, ejus est scilicet, cujus et fuit. — § 5. Quod si³⁴ toto naturali alveo relicto flumen alias fluere cœperit, prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque prædii, quæ [latitudo] prope ripam sit: novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus et ipsum flumen, id est, publicus juris gentium. Quod si post aliquod temporis ad priorem³⁵ alveum reversum fuerit [et] flumen: rursus novus alveus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia possident. Cujus tamen totum agrum novus alveus occupaverit, licet ad priorem alveum reversum fuerit flumen, non tamen is, cujus is ager fuerat, stricta ratione quicquam in eo alveo habere potest: quia et ille ager, qui fuerat, desiit esse, amissa propria forma; et quia vicinum prædium nullum habet, non potest ratione vicinitatis ullam partem in eo alveo habere; sed vix³⁶ est, ut id obtineat. — § 6. Aliud sane est, si cujus ager totus inundatus³⁷ fuerit: namque inundatio speciem fundi non mutat: et ob id cum recesserit aqua, palam est ejusdem esse, cujus et fuit. — § 7. Cum quis ex aliena materia speciem³⁸ aliquam suo nomine fecerit: Nerva et Proculus putant, hunc dominum esse qui fecerit: quia quod factum est, antea nullius fuerat. Sabinus [et] Cassius magis *naturalem rationem* efficere putant, ut³⁹ qui materiam dominus fuerit, idem ejus quoque, quod ex eadem materia factum sit, dominus esset: quia sine materia nulla species effici possit; veluti si ex auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecero: vel ex⁴⁰ tabulis tuis navem, aut armarium, aut subsellia [fecero]: vel ex lana tua vestimentum: vel ex vino et melle tuo mulsum: vel ex medicamentis tuis emplastrum, aut collyrium⁴¹: vel ex uvis, aut olivis, aut spicis tuis vinum, vel oleum, vel frumentum. Est tamen etiam media sententia recte existimantium, si species⁴² ad materiam reverti possit, verius esse, quod et Sabinus et Cassius senserunt: si⁴³ non possit reverti, verius esse, quod Nerva et Proculus placuit; ut ecce vas conflatum, ad rudem massam auri vel argenti vel æris reverti potest: vinum vero, vel oleum, vel frumentum, ad uvas, et olivas, et spicas reverti non potest: ac ne mulsum quidem ad

L. 52, § 1, infr. eod.; L. 1, § 1, infr. tit. prox.; § 17, Inst. de rer. divis. — 27. § 19, Inst. d. t. — 28. L. 1, in fin. C. de alluvion.; § 10, Inst. de rer. divis. — 29. L. 12, in pr.; L. 16, infr. h. t. — 30. § 31, Inst. de rer. divis.; L. 4, in fin. supr. de reb. cred. — 31. L. 8, infr. de incend. — 32. § 22, Inst. de rer. divis. — 33. L. 30, § 4, infr. h. t.; L. 1, C. de alluvion.; § 22, in fin. Inst. de rer. divis. — 34. § 15, Inst. d. t. — 35. L. 18, infr. h. t. — 36. L. 40, § 3, infr. eod. — 37. § 24, Inst. de rer. divis. — 38. § 25, Inst. d. t. — 39. L. 76, in fin. supr. de judic.; L. 9, § 3, supr. ad exhib. — 40. L. 26, in pr. infr. h. t. — 41. § 25, Inst. de rer. divis.; L. 18, § 10, supr. de instruct. vel instrum. — 42. L. 24, infr. h. t. — 43. L. 27, § 1, infr. eod.